

SEDULIUS SCOTUS.**NOTITIA HISTORICA.**

(Fabric., Bibl. med. et inf. Lat.)

Sedulius junior, natione Scotus, dubium an is qui an. 721 concilio Romano subscripsit, an alius, quem Hepidamnus monachus Sangallensis in Chronico ad an. 818 clarum fuisse narrat. Incertum etiam episcopus an presbyter fuerit. Ejus habemus :

1. *Collectaneum sive Explanatorem in Epistolas Pauli*, in qua Gregorius Magnus, quamvis suppresso nomine, citatur. Prodiit Basileæ apud Henricum Petri 1528 et 1534, in-8°, nec non in Bibliothecis Patrum.

2. *Collectanea in Matthæum* sub nomine Sedulii Scoti citat Sirmondus ad Sidonii Apollinaris Epist. ix, 4, in quibus, Labbeo teste, Gregorius, Isidorus, Beda et ipse quoque Sedulius senior allegatur.

3. *Commentarii in artem Eutychii*, teste Usserio in Bibl. Thuanea fuerunt. Sic quoque Sedulio *Commentarii in primam alii secundam artem Donati et in majus volumen Prisciani* tribuuntur.

4. *Opus de Regimine principum* habuit Goldastus, teste Labbeo. Sedulius de *receptoribus Christianis et convenientibus regulis, quibus est respublica rite gubernanda*, Lipsiæ 1619, in-8°, editus memoratur a Fabricio nostro. Freherus ad Petrum de Andlo de Imperio Romano, II, 16, scribit se an. 1612 hunc librum ἀνείκελον ad prelum parare. Ex ejus libello de *Christianis rectoribus*, c. 8, octo disticha adducit Nicolaus Cusanus de Concordantia catholica, præfat. libri III in volumine Sichardii de Jurisdictione imperiali, p. 356.

Vide Usserium, *Antiq. Eccles. Britannic.*, c. 16, et Oudinum tomo II, p. 26.

Psalterium Græcum Sedulii ejusdam Scoti manu scriptum recenset Bern. de Montfaucon, *Palæogr. Græc.* III, 7, p. 256.

SEDULII SCOTI**COLLECTANEA IN OMNES B. PAULI EPISTOLAS.**

(Bibl. vet. Patr., tom. VI.)

I.**IN EPISTOLAM AD ROMANOS.****CAPUT PRIMUM.**

Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus. Sciendum est quod in præmio septiformis divisio elucescit. Primo namque de seipso loquitur. Secundo, evangelium Dei non parva laude extollit. Tertio, mediatorem Dei et hominum, secundum utramque divinitatis et humanitatis substantiam, magnis laudum prædicat præconiis. Quarto, apostolici gregis electionem demonstrat. Quinto, generalem gentium ad fidem Christi vocationem declarat. Sexto, specialem Romanorum vocationem ostendit. Septimo loco, gratiam et pacem, quæ sunt dona septiformis Spiritus, Romanæ Ecclesiæ a Deo Patre, et Domino Jesu Christo præstari desiderabiliter exoptat. Hac divisione præmissa, nunc ad singulas ipsius præconiis particularitates enucleandas veniamus. Prima itaque nobis quæstio de nomine ipsius Pauli videtur exurgere : Cur is qui Saulus dictus

B est in Actibus apostolorum, nunc Paulus dicatur. Invenimus in Scripturis divinis, quorundam veterum immutata vocabula : ut ex Abram, vocatus Abraham; ex Sarai, Sara; et ex Jacob, Israel. In Evangelii quoque ex Simone, Petrus; et filii Zebedæi, filii tonitruum nuncupati sunt : sed hæc ex præcepto Dei facta legimus. Nusquam vero erga Paulum invenimus tale aliquid gestum. De qua re quibusdam visum est quod Pauli proconsulis, quem apud Cyprum Christi fidei subjecerat, vocabulum sibi Apostolus sumpserit, quod nec nos quidem usquequaque evacuandum putamus : tamen quia nulli talis in Scripturis divinis consuetudo deprehenditur, magis ex his quæ in exemplo nostris sunt, absolutionem quæramus. Invenimus igitur aliquantos binos, alios autem ternos usos esse nominibus, ut Salomonem, eundem Iddida; Sejechiam, eundemque Joachim; Osiam, eundem et Azariam, aliosque plu-